



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Caroli Spinolæ Societatis Iesv, Pro Christiana Religione In Iaponia Mortvi

Spinola, Fabio Ambrogio

Antverpiæ, 1630

Cap. XVII. Damnatur Carolus vt viuus comburatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46233)

CAPVT XVII.

*Damnatur Carolus vt viuus
comburatur.*

DESPERATA iam liberatione Ioachimi naucleri sui, indicare sese qui essent, duo illi Religiosi decreuere; adeoque liberè professi sunt, Religiosos se esse Ordinum duorum S. Dominici atque Augustini: missos, non vt insulas eas explorarent, sed aduectos voluntate suâ, ad propagandam Christi fidem, ad collustrandos Euangelij luce indigenas; denique ad vitam suam impendendam Religioni, si necesse foret. Accendit nimirum tam libera confessio iram Gonrocui, qui intelligebat l'asum iri existimationem suam, si iam apud Imperatorem negaret, quæ pro certis atque exploratis, tanto antea tempore, constantissimè affirmarat. Coactus igitur ad Regiam proficisci, vt quo ordine res gestæ essent, explicaret, iussit vtrumque Religiosum, vnâ cum Ioachimò, in Iquinoximâ (haud longè Firando abest insula) fido satellitio custodiri, donec aut ipse reuerteretur, aut voluntatem indicaret Imperatoris. Nautæ non fuere custodiæ inclusi, sed iusiurandum tantum adacti, quoties citarentur, se in iure stituros Gubernatori. Appulsus in Regiam Gon-

rocuus, primâ datâ auscultatione, quæ gesta erant, exposuit. Imperator rerum serie auditâ, in tantum exarsit iræ, vt præter morem in huiusmodi verba erumperet, *Eâne audaciâ reperiri homines, qui grauissimis proscripti decretis, in Regna tamē nostra irrepant, quorum ingressu seuerè ad eò est eis interdictum? & Iapones quidem esse quorum ope inuehantur? Ecquid præter eà superesset, nisi vt Imperium ipsum aliquando inuadant?* Mox etiam excanduit grauius, cum Firando allatum est, repertum eâ audaciâ fuisse Christianum, qui suffractâ custodiâ, alterum illorum Religiosorum eripuisset. Ac quamuis initio feliciter euenisset fuga, deinde tamen, custodum diligentia, in carcerem, unde fugerat, retractus est. Has ergo ob res quasi in rabiem actus, sic Gonrocuo respondit: *In te omnis hæc recidit culpa; adeoque, si alteri cuiquam id negotij dedissem, iam nullus Iaponiâ totâ superesset Septentrionalis Bonzius (sic Europæos Religiosos appellant) qui Regnum hoc meum perturbaret præconio legis, tam contraria sectis Iaponiorum; sed qui negligenter inuigilas ijs quæ aliunde inuehuntur nauibus, quotidie noua sacrificulorum portenta in has insulas irrepunt, vti hoc duorum exemplo est manifestum, qui tales se iam sunt professi. Redi ergo primò quoque tempore Nangasachum, & duos illos Religiosos, vnâ cum Ioachimo (qui suâ eos nauis*

navi aduexit) vinos concremato. Eodem supplicio ceteros multato, quotquot reperies Sacerdotes aut Religiosos, seu Europæi fuerint, seu Iaponij; eorum etiam hospitibus trucidatis, quos vinc̄tos in custodiã habueris. Administros præterea omnes, nautas, peregrinos Christianos, quotquot eã naue aduecti fuerint; uxores deniq; eorum qui Euangelij præcones domi suæ exceperint, capite obruncato; ne seruat̄is quidem eorum liberis, quacumque fuerint etate, aut præteritis Christianis, qui vicinas eorum habitauerint ades. Eidem porrò pænæ eorum coniuges liberòsque subijcio, qui aut à triennio pro Christianã fide fuerint occisi, aut etiamnum in custodiã ob eandem causam retinentur. Tu verò hoc age in posterum, quantã maximã poteris diligentia, ut Religiosos illos deprehendas, qui occulti in Iaponiã latent, & occurras, velim, ne quis deinceps nouus irrep̄at; si quid verò culpã tuã fuerit turbatum, pœnas mihi capite dabis.

Hæc pronuntiata fuit à Xonguno Imperatore sententia, quã damnatus Carolus, ceterique tot innocentes DEI serui, non aliã re ad rogos gladiòsque abrepti sunt, quàm quòd Christi fidem retinerent: insolito in id tempus crudelitatis exemplo, quã paucorum dierum spatio, ad centum & viginti, pro Christi Religione victimæ fuere immolatae. His ergo cum mandatis dimissus ab Regiã Gonro-

cuus, & Nangafachum redire iussus, (præterquam quòd esset reprehensionis asperitate accensus, minarumque duritie territus) ita redibat animo comparatus, vt nihil omnino remittere de seueritate imperij decreuisset, ad pœnæ sibi impendentis periculum declinandum. Ac licet naturâ suâ blandus humanusque esset, & multa superioribus temporibus dissimulasset; ita in præsentia ingenium morisque asperauit, vt quamprimum Nangafachum attigisset, duos illos Religiosos, cum Ioachimo, ex insulâ extractos adduci iusserit, nauis administratos citauerit, vxores liberisque eorum, qui aut fidem morte sanxerant, aut Religiosos hospitio acceperant, in vincula compegerit; eorum facultates fisco subiecerit, vt primo quoque tempore exitialis sententiæ decretum in eos exerceret. Mox viuos incendio cremare exorsus est ad 19. Augusti anni 1622. P. Ludouicum Flores Dominicanum, P. Petrum de Zugnicâ Augustinianum, & Ioachimum nauarchum; nautis prætereà duodecim capite truncatis; qui omnes incredibili alacritate constantiaque, non minore gloriâ Religionis Christianæ, mortem pro eâ obiêre, vt luculentis narrationibus est publicatum. Fama intereà edicti Imperatorij ad carcerem Omuranum rumore perlata est, in quo Carolus, totque alij perpetuis conflictati

flictati incommodis, optatissimæ coronæ suæ
 inhiabant. Haud facile est creditu, quantâ
 communiter hilaritate felices illi nuntij à ca-
 ptiuis auditi sint, qui exilij sui libertati pro-
 pinqui, iam breuî per flammâs in æternam
 erant refrigerationem discessuri. Atque vt
 omnino securi non essent felicitatis tantæ,
 mox tamen, audito duorum Religiosorum
 sociorumque supplicio, in certam venere
 spem, breuî se omnes pari exitu absoluendos.
 Hinc Carolus statim amicos salutare litteris,
 quasi breuî è vita discessurus: quæ quia arden-
 tes planè sunt, vltimæque quas scripsit, extre-
 mâ vitâ (cùm de intimo pectore loqui homi-
 nes consueuimus) prætereundæ non fuere.
 Primis igitur, quas responsi loco scripsit P. Io-
 anni Baëza Reçtori Nangafachenli, à quo
 fuerat de Religiosorum duorum morte edo-
 ctus, sic loquitur: *Accepi schedulam Reu. vestre
 scriptam 20. mensis currentis, quâ de morte
 duorum illorum Religiosorum certiozem me fa-
 cit. Cedant, precor, omnia in laudem DEI.
 Quod ad nos attinet, iam dies aliquot sunt, cùm
 admoniti earum rerum sumus, quas Gonrocius
 dixit Vcondono, vni ex Præsilibus Omuranis.
 Eò igitur animos comparamus; speroque de di-
 uinâ bonitate, aliquando negotium nostrum
 conclusum iri. Malè admodum me habuit fe-
 bris continua à 20. Iunij in Idus Iulias; abstu-*
 K 5 litque

litque quod reliquum erat virium, planè ut moriturum me opinarer; sed viuere me Dominus voluit, ut unà cum alijs Sodalibus in holocaustum offerret. Apparet eos certè iam inde ab extremo Iulio anni elapsi voluisse ut arctius constringeremur, ut fame incommodisque maioribus vexati, paulatim martyrio nos appareremus. Nescio cui felicem hunc successum acceptum referre debeam, nisi immensa benignitati Domini mei, qui diuitias suas in seruo aliquo suo indigno (qualem me agnosco) patefacere vult, aut precibus Patrum, Fratrumque Societatis. Quia autem vereor, desore qui meas in posterum perferat ad Reu. vestram, hisce valere eam iubeo, petoque veniam culparum mearum, obtestorque, uti me iuuet in reddendis pro tam insigni beneficio gratijs, simulque mihi impetret à DEO constantiam obeunda mortis, dignam non degenerare filio Societatis. P. Sebastianus ceterique Fratres nostri, qui capti mecum detinentur, novos illos nuntios summâ hilaritate acceperunt, comparantque pectus. 26. Augusti 1622. Alteris, quas ad P. Prouincialem dedit, Heri, inquit optimus Pater, insigni furore satellites in carcerem inopinatò inuolauerunt. Credebamus, pro ijs quos acceperamus nuntijs, aut trucidatum nos iri, aut Nangasachum auhendos; sed mox intellectum, venisse ut numerum inirent captiuorum. Audiuimus felicem

felicem obitum eorum qui venere Manilã; puto
 nos breui quoque incendio conflagratos. In
 omnem casum (qua DEI gratia est) parati su-
 mus, felicem illam horam expectantes. Attoni-
 tum certè me habet immensa DEI bonitas ac
 clementia, qua indignissimum mancipium tanti
 beneficij honore dignatur, quantum est, vitam
 pro eius amore ac nomine fundere. Neque eã
 me cogitatione expedire valeo, quin illa Apo-
 stoli verba usurpem: Non est volentis, neque
 currentis, sed miserentis DEI. Quare existimo
 Sacrificijs Reu. vestra, aliorumque Patrum præ-
 cipuè eam gratiam exoritam esse: atque ita se-
 cundùm DEI, Virginisque, & aliorum Celi-
 tum patrociniũ, spero, illorum ope me illud
 quoque corporis animiq; robur impetraturum,
 vt supremum certamen obeam, pro dignitate
 sincera sobolis Societatis IESV. Videtur mihi
 DEVS, extremo hoc anno, instar boni Magistri
 Tyronum, ad mortem nos instituisse, permitten-
 do, vt iam inde ab exeuntis anni mense Iulio,
 seniores aduersum nos existerent custodia, du-
 plicandis excubijs, ciboque angustius admetien-
 do. quo in genere à bimestri durius atque vni-
 quam aliàs habiti sumus; præterquam quòd
 amicorum etiam litteris (qua solatio nobis ma-
 ximo erant) carendum fuit. Diuinã tamen in-
 dulgentiã factum est, vt hostiæ ac vinum fa-
 ciendis Sacris in carcerem perferrentur, unico
 com-

communium calamitatum leuamento. Ceterum in hisce Reu. vestram valere iubeo, abiectusque ad eius pedes, noxarum mearum veniam deprecor, precipue, quod parum adeo profecerim, tot sanctissimorum presidiorum auxilio, quot in carcere suppeditarunt, quadriennij spatio, ad perfectionem assequendam: petoque, sua me cumulet appreciatione. Patres, Fratresque omnes, quos vltimum affectu maximo complexus sum, obsecro, vti me in referendis diuinae Maiestati, pro tanto munere, gratis adiuent, impetrentque constantiam ad vsque finem, precipue cum vltimus morbus adeo vires mihi exhausserit, ut aegre pedibus consistam. Si forte ad P. Visitatorem scribere nequiuero, expleat quaso vices pro me Reu. V. etiam ad P. Generalem. Adiungo hisce binas thecas Reliquiarias, quibus continentur non parui ducenda Sanctorum monimenta; frustillum inprimis sacci, quo S. P. noster se induit initio suae conuersionis, quod multis clarior perpetratis miraculis. Altera est lipsanotheca B. Aloysii Gonzaga, quam misit mihi, qui modo Societati praesidet, Praepositus Generalis; cui insunt capilli aliquot Fratris nostri Ambrosii Fernandez. Mitto adhuc icones, quas habebam Breuiario meo insertas. Oro Reu. vestram ut eas partiatur inter Patres, Fratresque, qui in Iaponia degunt, aut alios mihi Macai notos, vti ei videbitur. DEVS Reu. vestram incolumem seruet.

uet. Ego quidem, si ita me DEVS amet, vt aliquando ad Montem sanctum pertingam, numquam obliuiscar prolixam illius suam aduersum me charitatis, aut Prouinciæ reliquæ, cui me deuotissimum scio. 28. Augusti anni 1622.

Carolus morte damnatus
pro nomine IESV.

Duobus abhinc diebus humanitatis quoque officio defungebatur aduersus P. Hieronymum Ruiz, Prouinciæ Chinenfis & Iaponicæ Visitatorem, litteris hoc argumento scriptis: Anno superiore litteras ad Reu. vestram dedi: ex eo tempore, ab extremo mensis Iulij, nouæ, quæ apposita fuere vigilia, angustius nos presserunt, responditq; asperitas victus seueritati custodiarum. Prorsus vt aliud nihil in carcerem penetrarit, præter ea quæ Ludouici Figueiredij liberalitate, è domo Gubernatoris Nangasachensis submissa sunt. A quo Ethnicus quidem, erga stulenti annonæ præfectus, peius quam vnumquam nos toto eo tempore habuit, defraudatâ etiam portione victus, quam admetiri iuebatur. Totâ igitur hieme, dimicandum mihi cum asperissimâ fame viriumque debilitate fuit, dum redirent calores. Eodem verò temporis tractu, cum propter parcitatem insalubritatemque ciborum, tum propter incommoda reliqua, & ingentes loci angustias, quibus duo supra tricenos captiui includebantur, multorum
affli-

afflicta est valetudo, ut propè ab exitio abes-
 sent. Pater Sebastianus, ego, ceteriq; Fratres
 Tyrones, sæpiùs febribus & dolore stomachi su-
 mus conflictati. Atque ego quidem à 20. Iunij
 elapsi, graui febrium ardore tentatus sum in
 15. Iulij sequentis, quem lethalem fore mihi
 existimabam. Nullà tamen medicinà, aliisve,
 quàm vulgaribus custodia delictijs, mihi restitu-
 tus sum; sed neque præter pellem & ossa quid-
 quam mihi corporis superest; neque pedibus sta-
 re vel breuissimo tempore valeo, in præsentem
 diem, absque graui vertigine capitis. In laudem
 DEI vertant vniuersa, qui videtur seruare
 velle vniuersos, ut simul, sacrificij instar, om-
 nes immolentur. A Festo B. P. N. Ignatij (ex
 quo scilicet Nangasachum redijt Gonrocius)
 subito duplicata fuere excubia, quam rem ini-
 tiò admirati, postea clariùs intelleximus, indicio
 litterarum quæ Nangasacho sunt allatæ, quibus
 scribebatur, Gonrociuum dixisse Vcondono Gu-
 bernatori Omurano (cùm eum visitaret) hoc
 tandem aliquando tempore carcerem se esse ex-
 inaniturum; eosque qui Firandi erant, breui
 quoque morituros. Pauco post tempore accepi-
 mus, 19. Augusti viuos incendio combustos
 esse duos illos Religiosos ab Hollandis captos,
 idemque supplicium nos manere. Qui nuntij
 Sabbato præterito confirmati sunt; Vcondono
 ex improviso, multà cum turbâ in carcerem, ad
 recen-

recensendos captiuos, veniente: quo iudicio persuasum nobis fuit, negotium nostrum breuè finem habiturum. Hanc ob rem quotidie nos paramus morti, expectamusque illam vocem, Ecce sponsus venit. Hac de causâ quoque supremo in Reu. vestram officio defungi volui, vii facere optarem aduersus reliquos Patres Fratresque, nisi temporibus excluderem, lociq; iniuriâ prohiberer. adeoque nescio an hæc in manus Reu. vestra ventura sint; tanta est custodum imminetium vigilantia ne quidquam efferatur, inferaturve. Equidem, quid dicam, ignoro; nisi quod mirer infinitam DEI clementiâ, qui homini tam prauo (cuius tantus fuit perfectionis sue procuranda neglectus, inter tot Societatis nostræ presidia, tantaq; quadriennalis captiuitatis occasiones) tam insigne voluerit conferre beneficium, ut pro eius sanctissimo nomine concremaret. Quare quantas possum, ei gratias habeo, obtestans Reu. vestram, ceterosq; Patres ac Fratres, ut ijs reddendis me iuuent, aduolutusq; eorum pedibus (quos osculabundus complector) veniam peto meorum erratorum. Atque his, quàm arctissimè complexus singulos, omnes saluto, dum mutuò intueamur in Monte sancto. Sarabà, sarabà. (quod Iaponum sermone significat, Valet, valet.) 30. Augusti 1621.

Carolus morte damnatus
pro Christianâ fide.

Non

Non erat per hoc tempus immemor Christianorum Nangasachensium, eorum præcipue qui nomina dederant Sodalitio Misericordiae, quibus epistolam scripsit, quâ tamquam vltimis tabulis (argumento summæ suæ aduersus eorum salutem voluntatis) optimis eos imbuebat præceptis, singularisque affectûs significatione, ad constantiam hortabatur; vt nempe magnis animis vim ferrent tyrannidis sæuientis. Hanc epistolam deditâ operâ in itinere abiecit, cum Nangasachum ad incendij supplicium proficiscebatur; vt nempe à Christianis, legendi auidis, tolleretur.

C A P V T X V I I I .

Exitus Caroli è carcere, & è vitâ.

FESTINABAT Gonrocius vt pronuntiatam in Religiosos, pro fide captos, sententiam Imperatoris exigeret. Ergo post paucos dies, quàm obierant supplicium qui Manilâ venerant, mandata scripta dedit Ficuyemone (Gubernatori id temporis Omurano, ob infantiam Principis Magistratu immaturam) vti Nangasachi adessent, ad 10. Septembris, quicumq; in Omurano carcere ob Christianam fidem tenebantur captiui, ceterique omnes quotquot Nangasachesi ditione erant depre-